
68
13 G
17


XXVI

AD . AMPLISSIMVM.
CARDINALEM . DE . RVVERE.


ORATIO
DE . REP. ORDINANDA.

D. Seraphini . Ghirardi . Can. Reg. S. Petri. ad . Vincula .

ROMAE . habita . Idib. Maij.
∞. D. LXXXIIX.







Οὐδὲν βεβαιότερον.

ROMAE
Apud Haeredes Antonij Bladij Typographos Camerales.
M. D. LXXXIIX.
Superiorum Permissu.

AMPLISSIMO. S. R. E. CARDINALI. HIERONYMO. DE. RVVERE.

SERAPHINVS. GHIRARDVS. CLIENS. εὖ πράττειν.

PARVOS parua decent, Illustrissime Princeps; & in paruis quies. magna splendorem habent, sed cura curam trahit. animus enim occupationibus implicatus grauioribus, & quasi constrictus, distrahitur varietate ipsa rerum, & ancipiti cura cogitandi. quare, cum se aliqua ex molestia emersisse credit, & laetatur; tum vero, aut eadem rursus obruitur, aut alia inexspectata & repentina, deinde alia atque alia. ita fit, vt, cum neutrum genus hominum id assequatur, quod est omnibus partibus absolutum & perfectum: sit tamen eiusmodi quiddam in vtrisque, in quo alteri alteris non inuideant. quae si firma satis duo sunt, vt mihi est persuasum; nec inferioris generis homines poenitere suae debebit conditionis; & clarissimi è contrario excellentissimiq. viri, suis interim se libenter finibus amplissimis continebunt. quod si quando tempus inciderit, vt, illis offerant aliquid, grati ani-

ti animi sui declarandi gratia, tenuiores: non, quid detur, summi viri spectabunt; sed, in re parua, latere vim posse magnam amoris considerabunt. in donis amorem autem paruipendi non solere; nisi qui neminem amat; negat nemo; vnde vnde proficiscatur. quamobrem, nec ille Xerses oblatum à rustico pomum, rem puerilem, est aspernatus; quòd cerneret, eius cortice, vir prudens, nescio quid occultari, pomo longè praestantius, dignum rege. Haec longius ducta quò euadant, faciam paucis; vt intelligas: scripsi de rep. ordinanda nuper orationem, quomodo potui. eam, cuperem, nomine insignitam tuo, legi, efferri foras, in manus hominum peruenire. at, quae ratio me eò perducat, praeter eam quam dixi, non dispicio. esset enim omnino (nisi planè sum plumbeus) aut de re mihi dicendum, aut de persona. vtrumuis sumpsero; aqua haeret: & nihil est tertium. quid igitur? ornem illam ipse? consonum non videtur: &, vt habeat laudem, aquila non capit muscas. de auctore idem iudicium, vtpote in quo neque ingenium admireris, neque doctrinam, neque elegantiam. ita erit coniunctim ab vtroque silentium. Tu ergo restas vnus, cum aliunde nihil succedat, nobilissime Princeps; ad quem postremò conuertam orationem. id vero auget rei multò etiam magis difficultatem. nam, ne principium inueniam, vires exiguae meae; ne finem atque exitum; tuae

sunt

sunt illustres & plurimae virtutes impedimento, itaque totam etiam hanc partem non inuitus relinquam: ob eam quidem caussam iustissimam, & verissimam, quòd, de rebus meis, tenuitas; de tuis, ne dicam, nimia faciat amplitudo earum atque magnificentia. Qui sis tu; quo patre, auo, maioribus: qua emineas origine stirpis, quàm insigni, quàm vetusta: quos item ortus habeas, incrementa, gradus tùm virtutis, tùm commendatioris ad hominum famam nobilitatis; eaque ipsa, quàm incorruptè vsque ad hoc tempus continuata permanserit: & Roma frequentia sua conatur ostendere; & illi explicabunt scriptores copiosissime, qui Summos Pont. vestros, qui Cardinales octo, qui sex Vrbini admirabiles Duces recensuerunt: non ego, cui est propositum, & vero esse debet, epistolam texere, non scribere historiam. meum illud praecipuum fuerit munus, eum obseruare, uereri, beatissimum velle, in re sacra meminisse virum, qui à paruis, qui vir inter viros, qui hoc flexu aetatis; ad pietatem omnia, ad rationem iuuandi, ad ingenij quasi culturam, ad posteritatis immortalitatem reuocarit; secutus gentilium suorum pulcherrima, vt res loquitur, &, confessione omnium, antiquissima instituta. adde, cui tantum ipse priuatim debeo; quantum, qui antè opinione multorum sepultus; eo primùm vocante, & instante, & clamante, reuixerit. sic igitur faciam:

quamq́.

quamq. semel mea voluntate suscepi mentem Venetijs, in ea manebo, tibi vt sim probatus, & persistam. & quando ita accidit, vt, apellatione sua glandes, fructus omnes compraehenderent: quorum, hos in Canonicos, vberem copiam transfuderunt: non aliam (nos certè) vnquam δρυῦ βαλανίσομεν, dum vita erit, non aliam arborem excutiemus. Interea, ne hospitio excludatur haec oratio mea, oro te, per hunc tuum sensum excellentem humanitatis, tributum paucis à natura, tibi parente, multis nouerca. rem ne spectes, rogo, te indignam, vulgarem, leuissimam: sed, cum parua paruis apta sint, pro certo crede, me, patrono meo maiora quaerentem, quod potuerim munus, de meis bonis, beneuolo animo confecisse. Tu me inuicem vt ames, non postulo: vt diligas, fortasse. si esse de tuis aliquem patieris, gratissimum erit. Vale. Deus tibi quod superest. Romae, ex aedibus tuis S. Petri ad Vincula, ineunte Maio. 1588.



ANDEM aliquando, P.C. faustus ille optatusque dies illuxit, praepotentis DEI munere singulari ac voluntate; cum vos in Vrbem omnes vsitato more conuocati, Pontifici Maximo praesentes ostenderetis, quantum, in huius ordinis consilio esset veteris innocentiae; quantum, secundo loco etiam interioris eruditionis. quo à vobis vtroque, vt apparet, honorificè demonstrato: & patuit Romanis hominibus vestra virtus atque industria; & integrum fuit optimo cuique praeterea constantissimoq. ciui, remp. suo pristino more defendere. ac mihi quidem minime dubium erat, singulis propè horis, vestra de fide & prudentia cogitanti; quin, ad eum exitum comitia perducerentur nostra, quem habuerunt: sed, si casu forte accidisset, vt, contrà quàm voluissetis, ab religione officij declinatum fuisset; quod secus humanis in rebus vix esse potest: ingenuè confitebor, ne quid interea caperet detrimenti summa resp. pertimescebam. qui quoniam metus inanis fuit, laetor hoc tanto bono mirandum in modum, incredibilemq. ea de caussa percipio, vnà cum his, quos libenter intueor, amplissimis viris, itemq. sapientissimis, voluptatem. negari enim potest nullo pacto, Illustrissimi Principes, eorum esse magnam in vita communi habitam laudem semper atque praestantem; qui, quavis in procuratione muneris publici sic omnia temperarent, vt, nec prima extremis, & medijs; nec ista, rursum, immoderata, repu-

guarent illis vtrisque superioribus. quod si hoc ferret rerum humanarum conditio fluxa nimium & incerta, vt, quod quisque est excellens aliquo in genere laudis consecutus, id suum esset perpetuò ac proprium; nae ego vobis, Patres, quàm feci, libentius multò in praesens, & vehementius gratularer. quis enim omnium non cernit, atque adeò expertus est, acquirendi persaepe viam proponi hominibus planam & stabilem; conseruandi, ex aduerso, praecipitem ferè semper eandem, & lubricam? quò etiam acrius in eo euigilabunt curae & cogitationes vestrae, ne, ea praeclarè quae decreuistis ad communem vtilitatem, suam amittant vim, suum pondus, consequentibus annis. etenim, quid profuerit, quid etiam habuerit dignitatis, optimis videre atque gratissimis informatam remp. legibus: si haec ipsa bene, iustè, gloriosè viuendi praecepta, cùm egregia, tùm saluberrima, aut licentia despiciantur? aut negligentia obsolescant? aut improbitate peruertantur? ego quidem, quod hominis Christiani est, verissima fide, spe, charitate imbuti; quae improbanda sint, quae persequenda, cum exposuero vobis, his audientibus Ecclesiae firmamentis: nec rem suscepero non dignissimam cognitione, non vtilissimam, non hoc tempore necessariam; & officio me simul arbitrabor cumulatè meo satisfecisse. itaque dicam non grauatè hodierno die, vnde mihi placeat exoriri, quoq. modo ordinandam ego putem eam remp. quae sit immortalis futura atque aeterna; nullumq. sensura interitum alium & occasum, nisi eum ipsum vltimis saeculis, quem haec scilicet etiam subiecta oculis rerum caducarum natura. Ac mihi sanè tota haec ratio videtur duabus potissimùm rebus contineri. vna est, eximia omnium nostrum in Deum pietas: altera, par integritas eius viri, quem esse reliqui ciues in hac familia voluerint ante alios, clarissimum & praestantissimum. Vnde enim potius, obsecro, duci opor-

teat

teat aedificandae quodam modo reip. initium, quàm à pietate ipsa Christiana, honestissimae cuiusque actionis fundamento;& eadem insuper,summa cumuloque virtutum? hanc sicut Dei bonitate nobis oblatam,quem nullus error attingit,persuasum habent,rectè de fide qui sentiunt, nostrae caussa salutis; non inuentam hominum artificio: sic illa, nec vi infringetur vlla externa, nec dissoluetur pestiferae doctrinae telis venenatis,nec venire,potest in obliuionem immensitate saeculorum. quare, cum nullum sit nomen penitus,praeterquam Christi Iesu,vnde sperare liceat salutem hominibus,aeternaeq. vit aedomicilium: ipse autem idem Christus in crucem actus, Ecclesiam Catholicam aedificarit; profectò quidquid imposueris aliud huic aedificio, si minus nitatur hoc solo; vndecunque illud acceptum fuerit, labatur propediem, & corruat, necesse est. Enimuero si fortissimi olim peritissimiq. duces, non nisi facto sacrificio, ac numinis penè explorata voluntate, ibant in praelium; fuisseq. in vsu poëtis cognoscimus vetustissimis, nullum vt poëma inchoarent, Musarum non antè implorata ope, quas illi diuinitate donauerant; quo flagrare nos religionis ardore aequum fuerit,sapienter qui,non poëticè colimus, pro fictis octo Musis, expressa octo genera beatitatis? pro tribus Gratijs, tres insignes illas virtutes, Fidei annexam Speiq. Charitatem? pro ridiculo Apolline,splendidissimum solem Christum, & lucem mundi, & inaccessam lucem incolentem, & candidissimo huic Phoebo, terrarum peragranti orbem & collustranti, tùm lucem perennem, tùm calorem suppeditantem? quos, in summa, rectam fidem sequentes, discrepare, ne tenuissimis in rebus quidem ab optimis conueniat, & sanctissimis cogitationibus? hoc intellecto & stabilito, erit illud principiò arctissimè tenendum; nobis,non ea modò amplectenda, constantissimeq. tùm credenda, tùm vero etiam

 defen-

defendenda; quae credit,docet,tradit illuſtrata diuinitus & erudita Romana Eccleſia, reliquarum omnium princeps: verum, cum quoque dies noctesq. perſoluendum humani generis procreatori Deo cultum, qui poteſt noſtrarum proficiſci ex mentium penetralibus, puriſsimus, caſtiſsimus,innocentiſsimus.hoc pueris praeceptum eſt; hoc viris, hoc ſenibus. nemo non valet diuinas laudes; diuina beneficia meminiſſe,recolere,celebrare: nulla Dei regno imbecilla aetas. neque non iccirco vehementer eſt formidandum, ne caeleſtis in nos ira grauius propterea concitetur,ſi quid negligentius in hac re forſitan commiſſum fuerit, aut praetermiſſum à nobis: quandoquidem adepti multa iampridem ſumus ob eam cauſſam, & coenobia, & praedia, & commoda non mediocria vitae lautioris. hic eſſe noſtrae debet gloriae campus: hinc licet ſibi quiſque conficiat,vt vult, declamationes, encomia, panegyricos.ad hanc quidem egregiam operam accendere nos multa debent, atque adeò impellere: in primis autem ſcriptorum excellentia & maieſtas diuinorum. eſt ne, quaeſo, antiquiſsimis è regum, populorumve monimentis res geſtas proferre in apertum, tam celebres, amplas, magnificas; quàm, quae ſacris in libris noſtrorum traduntur? explicantur?comprachenſae ſunt? in illis, omnia redolent ſuperbiam,inuidiam, fraudes,impietatem: in his, nihil non amabile,ſincerum, temperatum, religioſum. illa, cum virtute coniuncta vitia non rarò docent: haec, & veras virtutes tradunt, & abſterrent à minimis etiam leuiſsimisq. erratis. illa, ſemel atque iterum lecta afficiunt moleſtia lectorem: noſtra, longè ſecus; quò ſaepius, quò attentius legis; hòc auidius legis, hòc iucundius legis, hòc maiore cum vtilitate legis.quid mirum autem? haec, caeleſti ſpiritu dictante, parata, inuenta, propagata: illa, humano ingenio, & eo plerunque ſtudio partium deprauato,coepta, perfecta, conſcripta

sunt. quem igitur moueat Persarum illa colluuies; cum Xerse in Graeciam irrumpentium; qui animum conuertat suum parumper ad Mosen, innumerabilem Hebraeorum multitudinem mare immensum traijcientem? nullis nauibus? nullo ponte? terrestri itinere? iam, quorsum mihi à tenera aetate in Christianam militiam recepto, Romanorum bella, tùm hic in Italia administrata fortissimè, tùm in Gallia, Hispania, Macedonia? quid porrò sacris initiato, quid Christiano flamini, bellica instrumenta? ordines militares? deletae vrbes fortunatissimae? ducti clarissimi reges in triumpho? quantò nostrorum autem coronae sunt Martyrum atque victoriae praestabiliores, certioresq. ad praemia, ad veram pacem, ad immortalitatem beatissimae vitae? placidissimae quietis, ac sempiternae? haec nimirum illa fuit victoria, quae vicit hunc mundum & profligauit, fides nostra: cum, inermibus armati succubuerunt, cedentibus insequentes, priuatis hominibus potentissimi, Reges, ac Principes. Quorum excellentes virtutes planeq. admirabiles, & caelestes; itemq. nobilissima, necnon celeberrima praeconia, cum mihi statis horis proponat ad imitandum Christi Ecclesia, in singulos dies, cupidissima salutis meae; quos ego alios quaeram Scipiones amplius, aut Marcellos, & Fabios? vel Annibales, & Alexandros? Quae igitur sunt Ecclesiae, quae religionis, quae pietatis; ea si & augustè veneremur, & studiossissimè obeamus alacri laetoq. animo; in eam spem certam prorsusq. exploratam adducor, vt, quo statu maximè vellemus esse res nostras, eodem conseruentur in infinitam posteritatem: neve vllo tempore quidquam ingrediatur in hanc familiam, quod possit conuellere veram fidem, aut etiam labefactare, veramq. sanctitatem. non solet Deus, quos domi suae obseruat quotidie sibi operam nauare, in postremis habere, non solet Deus: cuius auxilio certo, rerum natura

plus

plus multò, nedum exigua familia, quàm humano consilio gubernatur. sit ergo P. integerrimi, nostris in ciuibus cura longè antiquissima, studium, scientia rerum superarum; vbi pax, vbi opes, vbi laetitia, vbi à philosophis tantopere exagitata, eaque tam certa, quàm vera, & perfecta, faelicitas. Sed ita placet sacris precationibus vacare & adhaerescere, vt à voce, ac verbis nec animus aberret languens & eneruatus, nec vita moresq. dissentiant. quocirca hominem bene doctum, & male moratum; & eruditum fatebor, & sapientem negabo: neq; Christi seruum arbitrabor eundem, & vitiorum mancipium. quis enim, viam, qua in caelum ascenditur, nosse; non in ea pedem ponere, sapientis duxit? nec vero, si milites perfuncti laboribus iustam vacationem habent à bello: ita qui se à pueritia mundi opifici Deo manciparunt, cum, aetate sunt deuexa ad otium & praecipitata, subterfugere militiam debent, cui nomen dederunt: quin immò, remis, vt dicitur, velisq. contendendum cuique fuerit, omniq. ratione connitendum, vt delectatio quasi vsum induat, vsus habitum, iste naturam: ne, pulchre coepisse, & in incoepto non permansisse conuincatur. quis virginem in pictura laudet, magna praeditam dignitate, desinentem in piscem? exploderetur, & meritissimò, ille profecto athleta, conuitio totius theatri; qui, nullo se in certamine cum exercuisset, nullos exantlasset labores, numquam in solem processisset; tamen coronari vellet, citra puluerem, citra sudorem: an verò studia leuiora ardua erunt, indiguerint quotidiana exercitatione; non patiatur vim magnam regnum caelorum? non antè quisquam, clarissima voce dico; hoc duce, his hostibus, pugnandi, excubandi, militandi finem facit, quàm spiritum exhalarit: quae enim victoria caret metu? quando non illi sunt ad nocendum paratissimi? quod autem fuit tempus, post conditum hominum genus, cum,

 tem-

temperantiam non pulsaret luxuria? sui contemptionem ambitio? patientiam offensiones? bonitatem malitia generatim? itaque vna hora, momentoq. prorsus eodem, & vitam, & castra deserimus. quod cum ita sit, P. C. dum bellum est, dum sumus in armis, nouis indies praesidijs, ijsq. firmissimis, & gladijs, & vigilijs communiamus mentis arcem & conscientiae: caueamusq. in bello tam periculoso, diuturno, insidioso praesertim, ne quando nos imparatos aut imperator offendat, aut hostis adoriatur: acerbum hoc omnino videatur & laboriosum delicatis hominibus, ac perdifficile; in vino & culcitra caelum quaerentibus: facillimum idem & iucundissimum eis tamen, leges qui nostras optimas & salutares maximè conseruarint. Quarum si auctoritate, si praescripto, si imperio regitur honestissima haec virorum societas annis ferè ducentis: cum lex nihil aliud sit, quàm mutus magistratus; ipse autem viciſſim magistratus, lex voce praedita & loquens; nemini, opinor, relinquitur dubium, quin hae partes, haec prouincia hominis eius futura sit praecipuè, cui apud nos mandatus erit annuis comitijs altissimus & amplissimus honoris gradus. de quo tempus iam postulare videtur, vt dicam. Versatur ille profectò difficili scopulosoq. loco, eo siquidem statu rationes eius sitae sunt & fortunae, vbi, neque remissus esse honestè possit, nec seuerus sine periculo: vbi, comitas aperta est, inuidia occulta: vbi, veritas infrequens, assentatio familiaris. ac si gubernandi molestias, pericula, difficultatem, in se descendentes mortales contemplarentur intentis oculis; nihil fortasse cuperent minus: cuperent dixi? immo exhorrescerent nihil, existimo, aut refugerent magis, quàm regere, quàm imperare. quid est enim regnum ipsum, per Deum immortalem, nisi splendida quaedam seruitus? equidem viuit, quod sciam, nemo vsqueadeò inimicus otij, ita ingenio auerso à consensu naturae, à communi

muni animantium instinctu, quem non vitae securitas delectet, quies interdum, pax, tranquillitas mentis. omnes namque & fugimus sollicitudines, & bene audire cupimus, & laeti viuere, & latere nostra vitia, nostras labes, domestica vulnera.. quorum si ne vmbram quidem omnium dixero, in amplo magistratu reperiri, esse posse; verendum, credo, mihi erit, ne non statim fidem inueniat oratio mea. à quo enim potest eius animus, vita, cogitatio, abesse metu, periculo, angore; cui onus incumbat vni molestissimum circumspiciendi reip. singulas partes? qui sit futurus magna & copiosa in familia, omnis homo? qui ea cura perpetua vrgeatur, vt praesentibus insistat, futura prouideat; colat aequitatem, innocentiam defendat; prospiciat alijs, consulat sibi; anteponat, & donis, & amicis, & verborum terroribus, legum sacrosanctam maiestatem? quas ille principiò commendatissimas habebit, qui amplissimè dominabitur; si hoc sibi proposuerit (debet quidem certè) vt ciues sui sint quàm beatissimi. quae eius ne incidatur sanctissima deliberatio, deuinciet se prius ipsum, propeq. constrinxerit seuerissima lege continentiae, officij, charitatis, mansuetudinis. ferunt homines nihil acerbius, nihil peius oderunt, aut apertius, quàm, alienos mores corrigentem eum, qui humano modo ipse transiliat lineas; qui numquam ipsemet sibi praeciderit istam licentiam libertatemq. viuendi. nam, rectè facere ciues suos Princeps optimus, faciendo docet; cumq. imperio sit maximus, longè tamen esse potentior exemplo, & excellentior debet. Hi sunt illi videlicet populorum pastores, quos graeci etiam poëtae indicarunt suis carminibus; quamuis obscurè; clarissimè autem & apertissimè oracula sacra nobis & vaticinia prodiderunt. hos voluit Deus singulis aetatibus, hos quaesiuit, partim in veteri lege, per prophetas, tamquam per legatos; partim in euangelio, per apostolos primùm, ac deinde per alios

alios veros & graues nuncios consiliorum suorum, atque interpretes . tales dominationis suae vicarios, & aemulatores, & amauit, & requisiuit quouis tempore, & instruxit hominum sator & parens; qui disipata colligerent, cónsumpta replerent, deprauata restituerent, confusa in ordinem adducerent; qui, de allio interrogati, de caepis non responderent; qui colerent virtutem, bonos ornarent, facerent plurimi; rapacium & perditorum reprimerent impetus, frangerent audaciam: non quos illustris gratia, quos honoris ventus, quos popularis aura dementasset; ac multò eos minus, qui pecunijs conficiendis incubarent, qui publicam rem priuatum patrimonium ducerent; eamq. pertenuem expilarent, labantem concuterent, cruentam & exsanguem dilacerarent. ò duram gerendae potestatis conditionem: ò mortalium vitam pariter calamitosam: qui, si pareant, serui; si imperent, sint infaelices. sed mihi esse properandum intelligo: quae superant pauca videamus. Atenim quoniam hanc accepimus à maioribus vitae ita constitutam communitatem, vt, non vni eam commiserint, sed pluribus; dabit operam strenuè is qui ad puppim conscenderit, ne sui sint disimiles illi, quos ei vos dederitis vestris suffragijs, honoris adiutores, suorumq. participes consiliorum & ministros. Ac tum demum hi nostri Quinqueuiri, eodem incitati, pariq. ardore charitatis, suas ad cogitationes Deum cum adhibuerint, rem cõmunem communi studio, communi amore defendent. nullas putabunt firmiores opes, maiorem potentiam recta conscientia, summaq. obseruatione legum nostrarum. vt enim vita hominum sanguine continetur per totum corpus distributo, sesèq. diffundente; sic ciuitates, populi, resp. legibus consistunt, vnicuique personae, tempori, negotio accommodatis. quapropter hoc initiò prouidebunt, vt impositae nobis leges, magno in honore sint. quas qui grauius violarint, easve ad

 euer-

euertendas quasi machinas compararint, sentiant; esse hoc in consessu Patrum, seueros magistratus; sentiant; quamuis omnis malus sit paena sibi; esse paratas paenas iustas & debitas otio, insolentiae, improbitati; sentiant, in ignauos, in profligatos, in hostes pacis seuerè & acerbè vindicari. at inimicitias suscipiam multorum, nec inuidiam sustinebo. Christianam qui fortitudinem perdidicerint, ita se gerent, ita se tractabunt in magistratu, vt consuescant, ciues alijs infensos coercere, sibi iratos contemnere; cognoscant vero aeque viri boni, ipsiq. corporibus praesentes & animis, nostri patroni, nostri clypei; bonae rationi, & constanti, & graui aliquem à vobis fructum esse propositum; tulisseq. hanc familiam saepe antea homines, atque etiam nunc ferre, plus veritatis amantes, quàm patriae; carius honestam sententiam, quàm inueteratam amicitiam aestimantes. his in rebus, studijs, occupationibus quandiu modum tenebimus, tandiu remp. tenebimus, tandiu Christiana pace perfruemur; quam hic mundus nunquam dedit, quia nunquam habuit; tandiu viuemus veteribus institutis, nec onerabimus hoc nostrum nouis legibus collegium, sed virtutibus augebimus, & hominum copia lectissimorum. Quò mihi tot leges? tam multa edicta? quid habent vtilitatis verò accerui decretorum, si ipse voluerit habere vim legis magistratus? multum vidit Plato, cum ita scripsit; breui eam ciuitatem perituram, in qua iuberet magistratus, leges obtemperarent. illud modo stet nobis, P. ornatissimi, nec moueatur, leges vt nostrae Romanis à Pontificibus confirmatae retineant auctoritatem suam. illa tum continuò prima sit lex; haec obseruetur, custodiatur, in fronte denique sit inscripta magistratus & Principis, ne quid ipse faciat per auaritiam, ne quid per ambitionem, ne quid per occultum odium: nihil astutè moliatur, nihil superbè, nihil fraudulenter: ne sibi muniat viam ad inuidiosam poten-

Car. oesual. Card. de Ruere.

potentiam, ne deferat communes rationes, ne priuatas iniurias persequatur. Non ista quidem cadunt in quenquam è nostris; sed à me eò dicuntur, ne se in futurum insinuent in animos Patrum, ad charitatem eruditos, ad prudentiam, ad exercitationem vitae caelestis; ne cui aditus aperiatur grauiori vitio in hac familia. id enim agitur, id quaeritur, quidquid abhorret à regula virtutis, id patria ne suscipiat. atqui, patriam meam, hanc numero; huius me patrio iure & more ciuem profiteor, anni sunt ipsi vnus & triginta. sed multi labuntur errore, neque adhuc videntur satis, germana quae sit patria, didicisse. diligimus patriam, dicunt: optimè. defendimus: honesta oratio. sed quam, amabo, hic patriam intelligimus? cuiusque ne locum nascendi ac sedem? si hoc volunt, & ego consentio. quid enim dulcius amore patriae, natali solo? paruam insulam, Ithacam, & ignobilem, Vlysses ponebat ante immortalitatem. cur? quia patria erat, quia lar familiaris, terra parens. pleni sunt libri, referta historia exemplis, de amore, de charitate patriae. dulce; inquit summus poëta, & decorum est pro patria mori. sed non sumus in eo; neque nunc pugnatur pro aris & focis. omnia sunt in Italia tuta, pacata, tranquilla, Sixti V. præstantissima sapientia, sapientissimo consilio. nihil timetur foris, nullus est Annibal ad portas, in praesenti. patria, ista, nostra est, quae nos aluit, educauit, texit, multisq. ac magnis bonis cumulauit: etsi, quid nos de patria, peregrini? veruntamen (quoniam hoc verbo magnopere delectamur) nostram ego hanc altricem agnosco, qua continemur, in qua viuimus, cuius benignitate sustentamur. eius Gregorius XII. iecit fundamenta: iunxit Rhenanis Martinus V. Columna, is, qui vnus à Christo nato, Constantiensi in Concilio, Pont. Max. est creatus à patribus. his gaudet illa primordijs; his initijs hoc tantum aedificium excitatum est: haec ostentat identi-

dem argumenta duo & signa grauissima stabilitatis, columnam, & vigilantiam. eam diuersis temporibus plerique deinde auxerunt subsecuti Pontifices. sed viri maximè illam de Ruuere adiuuerunt, & saepe aliàs insigniter, & in proximo, iactatam in alto fluctibus, atque periclitantem; quam, & olim eandem tutela continuata, ab inopia in copiam, ab infima fortuna in excellentem, ex humili obscuroq. loco, in excelsum & clarissimum transtulerunt. quid multa? nihil est boni, nihil exquisiti, quod illi non ab initio nobis voluerint, cogitarint, effecerint. Te nunc alloquor Sixte IIII. vnde ad nos octo monasteria, eaq. honestissima paucis annis emanarunt. Te cinis, te iterum sanctissime cinis voco potissimùm, voce quanta possum maxima, vosq. ossa nominatim Iulij II. quae hoc ipso in sepulcro condita iacetis religiosissimo, certissimi testes atque sempiterni, inauditi amoris in nos eius viri, eius diuini Pontificis, qui parum se de his Canonicis laborasse praesentem arbitrabatur, nisi eos ipsos etiam proficiscens honorasset, absens protexisset, mortuus illustrasset. quem si propterea diuinitus meritum de hoc Ordine, quoties caelum suspicimus, quoties hunc spiritum ducimus, gratis lacrymis Deo toties commendaremus; non modo non satis meritis faceremus innumerabilibus in amore constantissimi hominis, natiq. ad singularem quandam beneficentiam: ne digitos quidem, vt dicitur, ad eius fontes beneficiorum intenderemus. quod si ambo isti Pont. quantum in alios omnes de bonis Ecclesiae deriuarunt, suam tantundem priuatim in familiam conuertissent; haud essent in Vrbe, reor, hoc tempore, eorum sanguine creati praeclarissimi viri, hospites iampridem domi suae: quod aduertere iudicij fuerit, dolere pietatis, meliora precari beneuolentiae. Hanc igitur si cuncti veram patriam aeque diligeremus, si ex animo, si verissimè, si more maiorum saluam desideraremus, florentem

Gregorius, à greco, γρηγορεῖν, vigilare.

rentem & fortunatam: nec tam cito ipsa continentibus incommodis debilitata consenuisset; & is, quem libenter nomino, SIXTVS V. Pont. Max. & ante eum Pius V. maiora in dies in illam ornamenta congessissent: de caeteris quid prohibet idem existimare? atque ita, quisquis rexisset Ecclesiam, nostris adnitentibus propugnatoribus, multi hactenus ex hoc collegio, publicis honoribus, ipsa florente rep. floruissent. haec, inquam, liberalis parens, nos quae rudes, pueros, inutiles excepit, vestiuit, suo gremio complexuq. fouit; firmos nunc & robustos, firmata stirpe virtutis, ingemiscens quodam modo orat suppliciter, ne se destituamus, ne antiquam imaginem eius immutemus, ne senem iam & afflictam orbemus auxilio nostro, cui nosmet debemus, nostraq. vniuersa, labores, fructus, praemia, voluntates. ac nisi apud nos, infirma, nisi per nos auctoritatem suam, hoc anno, his diebus, vel salutem potius recuperarit; quid est praeterea quò solicita, quò penè desperata confugiat? huius ergo tuendae & stabiliendae gratia, quæ nobis non fuerit ineunda ratio? cui nō ferro & morti obijciendum caput? quem pudebit, cum bonis coire, non modo fortunarum, verum etiam periculi societatem? hic explicandae vires erunt ingenij, hic hostibus resistendum, hoc loco prudentiae, eruditionisq. copiae omnes educendae, instruendae, in aciem dirigendae sunt, saluam & liberam eam vt conseruemus: quam, turpissimi sint, qui perturbent; amentissimi, qui oppugnent; ingratissimi, qui relinquant. sed redeo vnde abieram. non desunt nostris temporibus leges, desunt mores: neq. adeò multis decretis indigemus, sed praeclaris exemplis; ijsq. non vetustis, sed recentibus; non alienis, & de historia sumptis, sed domesticis, nostris, & intimis; non fictis postremò & commentitijs, sed viuis atq; praesentibus. Non aliunde vnquam, mihi mihi credite, ordinandae duxerunt peritissimi quiq; exordiũ

Reip.

Reip. quàm à moderatore illius & custode: huic primas, huic secundas, huic tertias concesserunt. quid? referre ad statum quantum censetis conseruandum ciuitatis, Principis vitam & exemplar; cum Lycurgus vir sapientiae gloria excellens, voluntario exsilio suo, suam fore immortalem Lacedaemonen patriam iudicarit? Amiserant Gallico tumultu Romani Vrbem. ipsi Capitolium vix tenebant. ibi se aegrè sustentabant: ibi spes residebat omnis, quae superarat exigua salutis, & libertatis. sed videte constantiam. quamuis fame conficerentur, quamuis extrema fortuna starent; quamuis remp. desperassent; tamen arce retenta vna capitolina, facilè Vrbem quoque postea, & imperium receperunt. conferte nunc, si libet, rem cum re, bellum cum pace, militarem administrationem cum vrbana, & ea perpetua: haud secus restituerint collapsam morum disciplinam in integrum, qui principatum tulerint, si eorum constiterit in omni publico munere integritas, animusq. defixus in patriae charitate. amor enim acuit ingenium, memoriam exsuscitat, voluntatem facit alacriorem. quid? pisces non à capite putrescunt? non est, non est in ciuitate malum, quod non faciat dominus: habuitque passim veritatem hoc dictum; plura publicis rebus detrimenta gubernatores earum, quàm priuatos homines quoslibet, vel perditissimos, importasse. Sint ergo ij qui auctoritate praestiterint, soluti à cupiditatibus, liberi à delictis, quoad eius fieri potest: quos ipsos praeterea si temperati mores religiosiq. commendabunt, & perferentes iniuriarum, quae talium erit virorum elegantia vitae? qua vultus laetitia committent se in conspectum ciuium suorum? quàm explicata facie aspicient optimum quenque? quo illi animos mitigabunt? quàm multa iam mala depulerint? occulta sanauerint? nascentia oppresserint? diuulgata sustulerint? Deus immortalis, homo homini quantum praestat. ipsi

etiam

etiam illi (iuuat ita credere) qui lucem oderunt fulgoremq. virtutis; inuidia fussusi homines allicientur ad beneuolentiam. habebunt namque in cognoscendis caussis personarum rationem, habebunt iustitiae, habebunt humanitatis: cumq. legis virtus sit, iubere, vetare, permittere, punire; amabunt in singulis quà moderationem, quà decorum. iam si adhaec eis artibus instituti & disciplinis apparebunt, vt, cum de literis inciderit sermo, non haereant, non rubeant, non auersentur; tum profectò licebit & summis, & infimis, de talibus viris praestantissima quaeque sibi & optatissima polliceri. O nos tum autem faelices semel iterum atque saepius, cum huiuscemodi magistros bene viuendi, & auctores praeeuntes conspiciemus: cum nihil praeceptores docebunt, quod non fecerint; nihil fecerint, quod non & docere liberè audeant, & praedicare: cum aeternitatis viam ordine, vestigijs, & digitis, non praeposterè commonstrabunt. in magistratu illi quidem erunt; tamen eos non audierit vt magistratus quisque nostrum, sed quasi carissimos & clarissimos patres; ac tanquam aliquos è caelo demissos homines salutares coluerit & obseruarit. quales, ita viuam, qui vellet pingere suis coloribus, suis lineamentis, iustissimè sibi hos proponeret honoratos modestissimosq. viros, Patres nostros. enimuero pueritiam ad pietatem instituent, quod faciunt, ad pudorem, ad taciturnitatem. adolescentiam honestis occupationibus, frugalitate, vigilijs, rectissimis literarum studijs; à languore, à vino, à desidia, à flagitijs vindicabunt. qua in exercitatione laudabitur interim illa varietas, si, cum latinè graeceq. sciant omnes; hic tamen praeceptis abundet institutisq. philosophiae, ille dicendi elegantia & copia excellat; quiq. magnos habuerit progressus in iure pontificio, superari se ab alio patiatur libenti animo, rerum in explicatione caelestium: vt quaesita videatur in

re do-

re domestica temperantiae laus, in publica dignitatis. omnino, aut ita faciendum est, aut ingenij fama abijcienda. at hoc displicet, quia turpe, quia sordidum, quia periculosum. igitur illud tueamur tutum, & honorificum, nostris vt plumis & varijs ornati prodeamus in lucem: id quod per hos dies gloriosè factum animaduertimus. quid? in naui idem ne curant omnes? nihil minus. hic clauum tenet, ille contrahit vela, alius anchoram iacit. equidem, si nulli Romae opifices, praeter sutores, aut textores reperirentur; omnes, arbitror, hanc vrbem sibi relinquendam putarent. haec si sensero, si videro venire in consuetudinem, quae tamen magna ex parte sunt in nostris bonis; tum vero iustam proponere mihi remp. incipiam, quaeq. iam suis queat viribus, cum maximis & nobilissimis, de virtute, de doctrina, de honore contendere. pergamus ad reliqua. Viris viros praeficient. quos istos? nostratem ne qualemcunque naturae voluntatiq. nostrae obsequentem? an alium, constanter partem nostram & caussam defendentem, aliquem? multis è ciuibus probatos, ex probatis meliores & aptiores multitudinis rationibus. quid? nos, cum nauigamus, charissimis vtimur gubernatoribus, an scientissimis? nemo iustius praecipit aut rectius eo, qui diutissime obtemperauit, si paria sint caetera. nam, & qui bene imperat, paruerit aliquando oportet; & qui modeste paret, videtur, qui aliquando imperare debeat, dignus esse. non solent magni duces robur exercitus tyronibus committere, praeteritis veteranis. quid ita? quia nemo rectè iudicat quod ignorat. eos perducent igitur ad honores, corroborata iam partim qui sunt firmaq. aetate, partim etiam prouecta & ingrauescente. nam, tum in primis homines iudicio valent, memoria valent, consilio valent, vsu rerum valent; nimirum & vitae integritate valent, illi aestus motusq. animorum cum deferbuerunt concitatiores, qui-
bus

bus vehementiſſimis rapiuntur atque turbulentiſſimis adoleſcentes. adde, quod (id vero familiam ducit) mortis propinquae metu, de relinquenda vitae dulcedine cogitare neceſſe habent, de referendis rationibus, de ſuſpenſa exſpectatione futurae conditionis. haec leuia videntur & ludicra florenti aetati, ac penè ridicula: vel certè differenda in longinquum tempus; puta in aduentum ſenectutis. horum illa nihil metuit, nihil cogitat, nihil laborat: quae ſanos homines admodum conturbant, acriter ſecum diuq. ac multùm reputantes, quid nam ſibi, quid tandem futurum ſit, extremis rerum ſuarum temporibus. quod vtinam iſta ſubiret moriendi ſalutaris recordatio, ſingulis minimùm diebus, cuiuſque mentem: exſtinguerent homines, exſtinguerent paruo negotio, quibus flagrant vitiorum ardentes & funeſtas faces; quas inanis laus miniſtrat, quas auaritia, quas libido. neque illi propulſarent iniurias, ſed Chriſto illatas gaudentes condonarent, veteri more Apoſtolornm, notiſſimas & indigniſſimas: concideret ſimulatio, veritas reſpiraret: charitas in gratia eſſet, in odio perfidia. quid odia? deponerent, non ſaturarent. cedò, quid voluptates? his quidem pediſſequis virtutum, non dominis vterentur. itaque, dum caeleſti neglecto, voluptarium nobis quoddam hic regnum ipſi confingimus; ne vtroque tandem exuamur, venit in mentem grauiter extimeſcere. Nunc ſenectutem intueamur: incommodum hoſpitium vero, atque odioſum humanae peregrinationis; vel diutinae verius infaelicitatis, mea quidem ſententia, luctuoſum ſymulacrum. qui enim locus praecipue videbatur quietem poſcere & otium, in eo quot clamores excitari ſolent? quot ſaeuiſſimae tempeſtates? quàm multae, & miſerandae tragoediae? ac proinde, quaſi diuinarent noſtrae voluntates venturum malum, ſic, pugnantes inter ſe, & ſeneſcere nos optarent numquam, & longiſſimè tamen vitam pro-

C ducere.

ducere. quid dicam, viri honestissimi, aut quid agam? deplorem ne communem conditionem? augebo dolorem sine vlla spe. an statuam ante oculos vobis aetatis huius mala? at ipsi videtis miseriam. num remedia & consolationem adhibeam? vos pro vestra prudentia, quid factu opus sit, melius tenetis, vel potius optime omnium. vnum hoc attingam: quae de patientia, quae de misericordia, quae de mutuo amore, quae de charitate Christiana diceret homo eloquentissimus, paratusq. multò idem antè ac meditatus; ea hunc in locum vniuersa conuenire. Ergo agite, ornatissimi P. respicite vltimum tempus: miseremini senectutis, mox futuri senes. extrema aetas, satis per se miserabilis, plena horroris, plena formidinis & suspicionis; ne irrideatur, ne in squalore sit, ne in solitudine, ne in sordibus, prouidete. Verum quid ago? non potest infinita rerum sylua breui orationis gyro concludi. vos, Patres, oro, quoniam principem creari, quàm nasci tantopere praestat, ideo quòd nascendi sit incerta ratio; deligendi libera & constans voluntas: vos, inquam, oro integerrimi P. & obtestor, quorum patet latissimè potestas, per fidem vestram atque famam, quam scio vobis vita esse ipsa potiorem, incumbite diligenter in remp. & seriò, cui nati, cui desponsi estis: eam vos totam in hac caussa, his in comitijs tenetis, vos gubernatis. senectam fouete, regite iuuentutem, pueritiam erudite de continentia, de animi demissione, de mutuis officijs, de comprimenda lingua sit contentio, sit certamen inter nos, de ratione bene moriendi, de vita beata; de ingenuis artibus. sed virtutes, recordemur, sudore illas quidem scilicet; at non sudore tantùm comparari, speq. laudis. male, hercule, pugnaretur, auditores, si praeter tubam & gloriam, aliud milites nihil inflammaret ad pugnam. quare, vigeant humanitate vestra literae, colantur, florescant, sint in pretio: magnam auem amplus

nidus.

nidus. redeat eodem itinere Canonicorum illa peruetus disciplina atque praeclara, & reuiuiscat memoria omnium saeculorum. si dialectici sumus, Christum, qui vera est via & veritas, peruestigemus. si philosophi, veram philosophiam exerceamus, in mortis commentatione multi simus. si theologi, res diuinas imitatione perscrutemur, nempe ita viuendi caussa; non sciendi, & disputandi tantùm: malis bona, bonis meliora praeferamus: voluptatibus, viro, nedum Christiano indignis repudiatis, ad vltimum bonum, ad aeternas delicias, ad beatorum coetum, ad Christum ipsum contendamus, in quo sunt omnium singula, & omnia singulorum. is, quia veritas est, non errat; quia bonitas, non fallit; quia virtus, omnia potest; quia charitas, omnia dabit. In eum casum deducti estis Patres, vt omnis existimationis vestræ status praesenti horum comitiorum exitu contineatur. quorum si iudicio, si opinioni congruerint quae restabunt; nonne sine metu cum honestate viuetis? & in summo eritis amore, summo cum imperio? & nouo quodam genere admirabilem in gloriam venietis? Nec vero sum nescius, homines, nullo tempore defuisse, exultantes & feroces, qui cuniculos agerent, qui pudoris claustra, qui officij perfringerent. sed istorum tamen non erit difficile, vel sermones retundere, vel spiritus flectere, vel conatus cohibere. quomodo probas? quia robustis lacertis qui sit & valentibus, is facile manus contorquet & digitos in quamuis partem. quid? vnius paena, quàm saepe, quàm multi sanati sunt? illud est caput, in eo tota vertitur caussa, hoc fixo & statuto, eodem caetera inclinabunt: si, qui alijs praefuerint, Deum curabunt, Deum timebunt, nihil praeterea; ijdemq. ipsi traditae quibus fuerint habenae, eas nimium neque remiserint, neque adduxerint. omnino quatuor sunt, iudicio meo, quae praecipites ferant principes, & magistratus; nimia potentia, rerum co-

pia, improbi amici, satellites perniciosi. quid enim? illa quorum sunt venenata & pestifera; si libet, licet? non hae, quaeso, P. C. voces nunc primùm exaudiantur odiosissimae, & molestissimae in hac familia, quam viri prudentissimi nostri maiores, virtutis sedem, pietatis sacrarium, bonorum omnium esse domicilium voluerunt. Quae cum ita sint, facite, subductis rationibus, versemini in ea meditatione; quid splendor hic vester & grauitas requirat, quid hic motus temporum poscat, quid sit reliquae vitae superiori vestrae consentaneum, quò denique, sera numinis vindicta progrediatur. cùm haec sunt videnda, tùm vero illud magni est hominis, P. & futura iudicio praecipientis, voluere cum animo suo rerum vicissitudinem humanarum, praestantiumq. virorum ancipites casus reducere in memoriam, & varios, & repentinos, & graues; alienisq. malis, alienis miserijs quotidie fieri doctiorem, quod est aliqua in parte numerandum faelicitatis: tum proximè cogitare, nihil stabile re vera, vtile, gloriosum dici posse, nisi vnde pateat iter, vnde sit ascensus ad caelestem ciuitatem, ad piorum concilium: reliqua orta occidere, labi, euanescere omnia non aliter, ac magnam quandam nubem, nūc lucem soli eripientem, mox extenuatam è conspectu sese nostro sensim auferentem. Haec si collegeritis, si proferetis, si dabitis item in reliquum vestris ciuibus, municipibus vestris; ea dabitis, ea docebitis, quae sunt hominum sensibus mirificè accomodata, salutem, concordiam, dignitatem. Id quidem debemus summo Pont. iampridem: id illi tam gratum futurum est, quàm quod gratissimum. qui, vt se totum contulerit, ad Vrbem & orbem instaurandum; ita est de hac priuatim familia anxius, ita solicitus, ita nostri cupidus, amans, studiosus; quomodo si à nobis egressus, in illam supremam sedem pontificiam peruenisset. & verebimur, eius ne auxilium, ne opem inuocemus frustra, ne clementiam? is, ne me nobi-

nobilissimum velit, dubitabo; licet immerentem; cuius ex ore verbum nullum exeat, nisi cum mea laude coniunctum? cuius amoris, cuius paternae voluntatis exstent vestigia recentia impressa, quo quo me vertam? qui, & nomen Sixti IIII. retulerit, centum post annos, & beneuolentiam, & consuetudinem eandem bene merendi? quid? hi nostri defensores, purpura fulgentes & sapientia, an non ad ea paratissimi futuri sunt repellenda, quae impendeant? quae timeantur? illi vero; sint quantumuis aspera, sint formidolosa: ita sunt nati, ita erga nos animati. neque eos, per hoc tempus quidquam puto cupere ardentius, nostrae huius societatis amplitudine, & diuturnitate. quam ipsam quod vnicè diligant, haec esse iccirco statuerunt, vt mihi persuadeo, Romana comitia, testimonium virtutis vestrae, honoris nostri; iudicij vero, defensionis, patrocinij, vigilantiae suae. quibus, & praesentibus reliquis illustrissimis viris: tum caeteris omnibus doctrina, nobilitate, ingenio, grauitate praecellentibus, quorum in nos constant merita singularia, quas referemus gratias? vel quas agemus, aut quando? quo genere autem verborum? cum, ne habere tales quidem possimus, quales maximè & volumus, & debemus, mirificas & immortales? sed, qui alijs officiorum varietate & numero antecellunt, ratione quadam nunc magis exquisita & recondita praestantioris humanitatis, impetrabunt à se ipsis; vt, quod praestare factis non datur, nec spe teneri; id nos, minime dubitanter credant, inflammatos cupiditate, multis iampridem votis, mensura cumulatissima reddidisse. Vos interea P. quid sedetis, tantam nacti facultatem? quid exspectatis amplius? an non plane iam cernitis, diuina simul, & humana praesidia, nostram ad salutem omnia conspirasse? erigite animos P. patriae constantiam praestate, consulite paci, succurrite libertati. virtus non est bonorum imminuta:

sunt,

ſunt, quos non videtis, in eadem reliqui ciues voluntate. cuncta pubes, ordines vniuerſi ad remp. excitandam hanc, conſeruandamq. noſtram, mente, voce, vultu conſentiunt. Chriſto conſeruatori haec ædificata nauicula eſt: iactari poteſt, fluctuare poteſt: interire, mergi, naufragium facere, ipſo regente, non poteſt: Deum nemo amittit, niſi qui dimittit: quin, eo gubernante, his vigilantibus, vobis multum in poſterum proſpicientibus, & commota quae fuerant, vento reflante, reſidebunt; &, reuerſi antiquam in ſtationem virtutis & innocentiae, prouehemur in portum laeti deinceps, ex longa nauigatione, tutiſsimum & ſanctiſsimum vitae ſtabilis, dulciſsimae vitae, vitae vitalis. Perficite igitur bene conſiderata gerendi magiſtratus ratione, ornatiſsimi P. vt huius nominis ac familiae dignitas, olim apud maiores noſtros quae fuit, innocentiſsimos viros, eximia; eadem his comitijs, etſi longo interuallo, reuocata eſſe, magna ſanctitate religionis; atque retenta: tum veſtra item poſtea, & ſpectata integritate, & excellenti ſapientia, videatur. Dixi.

